



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

procedatis; facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam à partibus inviolabiliter observari. Alioquin gesta omnia in scriptis fideliter redigentes, ad nos ea sub litterarum vestrarum testimonio transmittatis; diem assignantes partibus competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent: ad quem si qua earum venire contempserit, nos nihilominus in causa ipsa, quantum de jure poterimus, procedemus. Ad hæc, volumus & mandamus ut ad locum ipsum pariter accedentes, super statu Cantuarien. Ecclesiæ tam interiori quàm exteriori inquiratis, appellatione remota, plenius veritatem; & quicquid super his inveneritis, nobis fideliter intimeris; ut per relationem vestram certiores effecti, quod statuendum fuerit statuamus. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. duo &c. Datum Laterani XIV. Kal. Iunij.

*ABBATI ET CONVENTUI
de Certesia.*

*Epist. 72.
De confirmatione
decimarum.*

CVM à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu, decimas de Certesies, de Eggeh. de Torp. & de Chabehan. ad opera vestri monast. deputatas, sicut eas justè ac sine controversia possideris, auctoritate vobis apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij.

E I S D E M.

*Epist. 73.
De privilegiorum
confirmatione.*

EX pastoralis officij debito provocamur religiosam vitam eligentibus apostolicum &c. Eapropter, dilecti in Domino filij &c. usque ad verbum suscipimus. Ad hæc, ut devotius piis operibus insistatis, vobis auctoritate præsentium indulgemus ut non liceat alicui in vos vel in monasterium vestrum sine manifesta & rationabili causa excommunicationis aut interdicti sententiam promulgare. De novalibus verò quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, aut de vestrorum animalium nutrimentis, sive de hortis, & virgultis, aut piscationibus vestris, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat, sed eas eleemosynæ aut pauperibus monasterij vestri, juxta quod tu, fili Abbas, postulasti à nobis, præcepimus assignari. Decernimus ergo &c. Datum ut suprâ.

*VGONI ABBATI MONASTERII
sancti Petri de insula Arben. ejusque
fratribus tam præsentibus quàm futuris
monasticam vitam professis in perpetuum.*

Plæ postulatio voluntatis &c. usque ad verbum ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam &c. usque ad verbum vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesiæ sita est, cum omnibus pertinentiis & appendiciis suis, & terminis, qui sic distinguuntur. Primitus à capite maceriæ à monte usque ad rivum descendendo, per rivum usque ad mare, & per mare ad molendina; & ascendendo per montis verticem, & eundo per illum usque in priora confinia. Ecclesiæ sancti Cypriani, cum pertinentiis & appendiciis suis, & terminis, qui sic distinguuntur. A valle obscura usque in vallem de Frasinu, aliæ tres partes mare circumdant, una cum manna omnibùsque scopulis, ad istud promontorium subjacentia, & valles quæ sunt apud sanctum Cyprianum, & aliæ quæ sunt apud sanctum Petrum, inter quas salinæ vestræ & piscariæ consistunt. Sanè novalium &c. Liceat quoque &c. Prohibemus insuper &c. Cùm autem generale &c. Sepulturam quoque &c. Salva tamen &c. Obeunte verò &c. Libertates &c. Decernimus &c. Salva apostolica sedis auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, VIII. Kal. Iunij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno secundo.

*Epist. 74.
De confirma-
tione privile-
giorum.*

*COMPOSTELLANO ARCHIE-
piscopo, & universis Episcopis in regno
Legionen. constitutis.*

ET si necesse sit ut scandala veniant, vix tamen est homini illi per quem scandalum venit. Quot enim turbationes & scandala diebus nostris orbi supervenerint universo, hodie plus experimur in factò, quàm scriptum reperiamus in libro. Necesse est autem ut veniant scandala, non solum scilicet inevitabile, sed & utile: quoniam in quo deficit malus, proficit bonus, & aurum in fornace probatur. Inter cetera verò in quibus scandalizatur hodie populus Christianus,

*Epist. 75.
De per excom-
municationis
& interdicti
sententiam Rex
Legionis & Re-
gis Castellæ fi-
lia, in gratia
prohibito co-
pulari, separa-
tur.
Cap. Eri ce-
cille. De donat.
inter vir. &
ceterum.*